



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinqve**

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

5 Vtrum imprimat characterem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

forma, quæ in illis terminantur, In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Quod clarius significavit Durand. citato loco, ubi ait, dicere Pontificem, Consigna eum ligno S. Crucis, &c. quæ mutatio non esset substantialis, ut supra in simili dictum est, tractando de forma baptismi: quia tamen hi auctores nunquam satis exprimunt omnia verba essentialia, fortasse verius est, eos non retulisse ritum essentialem quoad omnia, sed tantum accidentalem solemnitatem. Ad quartum iam responsum est ad Patres supra citatos: idemque ad Amalarium dicendum est. Quod vero ibi tangitur de forma deprecatoria, eodem modo expediendum est, quod dictum est supra de forma baptismi: non enim sufficit proprie forma per modum deprecationis, sed esse debet per modum indicatiui, aut saltem imperatiui, ut significetur efficacia sacramenti, & ut idem sensus formæ retineatur.

Hinc vero inquiri potest, an Apostoli in confirmandis fidelibus vti fuerint hac forma, sicut supra quæritum est de vntione chrismatis. In quo possunt esse tres modi opinandi similes illis, quos præcedente sectione tractauimus de vntione chrismatis: quibus addi potest, quosdam sentire, Apostolos nunquam confirmasse sine hac forma, etiam tunc, cum per simplicem manus impositionem sine chrismate confirmabant. Sed est improbabilis valde & inconstans sententia: primum enim expresse est contra D. Thom. qui hoc ar. 4. ad 1. loquens de illo tempore dicit, Tunc non erat necessaria, nec materia nec forma huius sacramenti. Deinde esset falsa forma, quomodo enim dicere poterat, confirmo te chrismate, si chrismate non utebantur: aut vnde constat, eos signasse signo Crucis magis, quam vniuersis chrismate? Denique sicut in Actis Apostol. solum legitur, Orauerunt pro ipsis. Sicut ergo propter priora verba negatur, eos vfos fuisse chrismate, ita propter posteriora negandum erit, eos vfos fuisse præscripta forma verborum, sed sola deprecatione pro suo arbitrio, & Spiritus sancti instinctu. Quocirca ita sentiendum est in hoc dubio, sicut in præcedente de vntione, & ideo qui opinatur fuerit, Apostolos semper vfos fuisse integro sacramento, dicere consequenter debet, in illis verbis Actor. 8. Orauerunt pro ipsis, vel non significari verba formæ, sed præambulam orationem, formam autem comprehendere sub manus impositione, ut Actorum etiam 19. vel certe formam ipsam posse orationis nomine significari, non quia deprecatoria tantum sit, sed quia virtutalem deprecationem continet, quatenus diuinæ virtuti & promissioni innitur, sicut supra est de sacramentis in genere dictum.

ARTICVLVS V.

Verum sacramentum Confirmationis imprimat characterem.

Ad quintum sic proceditur. Videtur, quod sacramentum Confirmationis non imprimat characterem. Character enim importat quoddam signum distinctiuum. Sed per sacramentum Confirmationis non distinguitur homo ab infidelibus: hoc enim fit per Baptismum: neque etiam ab alijs fidelibus, quia hoc sacramentum ordinatur ad pugnam spiritualem, quæ omnibus fidelibus indicitur. Non ergo in hoc sacramento imprimitur aliquis character.

2. Præterea, supra dictum est, quod character est quedam potentia spiritualis. Potentia autem non est nisi actiua vel passiua. Potentia autem actiua in sacramentis, confertur per sacramentum Ordinis: potentia autem passiua siue receptiua per sacramentum Baptismi. Ergo per sacramentum Confirmationis nullus character imprimitur.

3. Præterea, in circumcissione, quæ est character corporalis, non imprimitur aliquis spiritualis character. Sed in hoc Franc. Suarez. Tom. 3.

sacramento imprimitur quidam character corporalis: dum scilicet homo chrismate signatur signo crucis in fronte. Non ergo imprimitur in hoc sacramento character spiritualis.

Sed contra. In omni sacramento, quod non iteratur, imprimitur character. Sed hoc sacramentum non iteratur, dicit enim Gregor. 7. de homine, qui à Pontifice confirmatus fuerit denovo, talis iteratio prohibenda est. Ergo in Confirmatione imprimitur character.

Respondeo dicendum, quod (sicut supra dictum est) character est quedam spiritualis potestas, ad aliquas sacras actiones ordinata. Dictum est autem supra, quod sicut Baptismus est quedam spiritualis regeneratio in vitam Christianam: ita etiam Confirmatio est quoddam spirituale augmentum, promouens hominem in spiritualem aetatem perfectam. Manifestum est autem ex similitudine corporalis vite, quod alia est actio hominis statim nati, & alia actio, quæ competit ei, cum ad perfectam aetatem peruenerit. Et ideo per sacramentum Confirmationis datur homini potestas spiritualis ad quasdam alias actiones sacras, præter illas ad quas datur ei potestas in Baptismo. Nam in Baptismo accipit homo potestatem ad ea agenda, quæ ad propriam pertinent salutem, prout scilicet, secundum seipsum viuit. Sed in confirmatione accipit homo potestatem ad agenda ea, quæ pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei: sicut patet ex exemplo Apostolorum, qui antequam plenitudinem Spiritus sancti acciperent, erant in cenaculo perseverantes in oratione: postmodum vero egressi, non utebantur publice fidem fateri, etiam coram inimicis fidei Christiane. Et ideo manifestum est, quod in sacramento Confirmationis imprimitur character.

Ad primum ergo dicendum, quod pugna spiritualis contra hostes inuisibiles, omnibus competit. Sed contra hostes visibiles, id est, contra persecutores fidei pugnare, nomen Christi publice confitendo, est confirmatorium, qui iam sunt perducti spiritualiter ad virilem aetatem, secundum quod dicitur 1. Ioan. 2. Scribo vobis, iuuenes, quoniam fortes estis, & verbum Dei in vobis manet, & vicisti malignum. Et ideo character Confirmationis est signum distinctiuum, non infidelium à fidelibus, sed spiritualiter prouectorum ab his, quibus dicitur: sicut modo geniti infantes.

Ad secundum dicendum, quod omnia sacramenta sunt quedam fidei protestationes. Sicut igitur baptizatus accipit potestatem spiritualem ad protestandum fidem per susceptionem aliorum sacramentorum: ita confirmatus accipit potestatem publice fidem Christi verbis protestandi, quasi ex officio.

Ad tertium dicendum, quod sacramenta veteris legis dicuntur iustitia carnis (ut patet Hebr. 9.) quia scilicet, inerior nihil efficiebant. Et ideo in circumcissione imprimebatur character solum in corpore, non autem in anima. Sed in Confirmatione cum characterē corporali imprimatur simul character spiritualis, eo quod est sacramentum nouæ legis.

Hic articulus explicatus est in his, quæ supra tractauimus de characterē in communi qu. 63. & pauca addemus disputatione sequente, præsertim, quod hoc sacramentum non possit iterari, quod attingit hic D. Thom. in argum. Sed contra.

ARTICVLVS VI.

Utrum character confirmationis presupponat characterem Baptismi.

Ad sextum sic proceditur. Videtur, quod character Confirmationis non presupponat ex necessitate characterem baptismalem. Sacramentum enim Confirmationis ordinatur ad confitendum publice fidem Christi. Sed multi etiam ante Baptismum sunt fidem Christi publice confessi, sanguinem fundentes pro fide. Ergo character Confirmationis non presupponit characterem baptismalem.

Ll 2 2. Præterea,

Referretur de conse. d. 3. c. 9. De hominibus
Quest. 63. art. 2. Ar. 1. huius q.

4. d. 7. q. 2. a. 1. q. 3. & d. 2. q. 1. art. 2. q. 3. & 4.